



№ 4155 *

Disp. H. H.



SOLIDA, AC RATIONIBVS

fundata Historiæ explicatio, tribus disputationibus comprehensa.

PRIMA:

DE FINE HOMINIS, ET
HISTORIAE SPECIEBVS,
& definitione.

ALTERA,

DE ORDINE, QVO IN FINEM
ISTVM CONSTITVENTIBVS DISCIPLINIS versandum sit: ab historiæ ne an à philosophiæ studio exordiendum.

TERTIA,

DE UTILITATE, ET IVCVNDITATE
EIVS, HABITIS IN INCLYTA Iulia Academia.

Praside

M. OVENO GVNTHERO HOLSATO,
Philosophiæ Aristotelicæ Professore ibidem.

Respondente

HENRICO SCHAPERO ALVENDENSI, AR-
tium Magistro.

18

Publicæ rei literariæ utilitatis gratia typis
informatis opera, & impendio Iacobi
Lucij transsylvani Helmstadij
Anno 1593.

M. Simon

SOLIDA ET RATIONIBVS

DE FINIBVS GALLIIS ET

RECTORI PSECVS

DE ORDINE QVO IN FINEM

ET IN CONSTITVTIONIBVS DISCI-

DE VITIS ET LVCYNDI

IN ONERIS ET ALIIS HOLLANDIAE

WENIGERSTADT AD S. ANDREAS

18

Publica et privatae litterae gratia typis

typis et in officio Iacobi

typis et in officio Iacobi

Anno 1723

N. 21-11



Propositio prima.



T rei cuiusq₂, ita & hominis finis consistit in boni consecutione, natura seu ratio existentis, per omnia sese diffundentis. Gen. 1.

2. *Hoc duplex est, unum simpliciter, & absolute omnia supereminus bonum, nempe Deus, undiq₃ infinitus, super omnia exaltatus, sanctus & benedictus in seculum.*

3. *Alterum est inde derivatum bonum, rebusq₃ conditis insinuatam, tantum quippe Dei possidentibus, quantum de primo bono traxerunt.*

4. *Deus porro, quia simplicissimus est, & maxime unum, principij pariter atq₂ finis obtinet rationem: principij, quia ab eo ceteris omnibus existendi fluxit actus: Finis, quia ad illum tanquam bonum connituntur iterum.*

5. *Hinc Aristoteles pie dixit, quod Deus est optimus & sempiternus, omnium causa, & principium a quo pender cælum, & Metaph., tota natura, & in eo consistit uniuersum bonum.* 1. & 2.

6. *Apparet igitur rei cuiusq₃ finem nihil aliud esse, quam ad suum principium reditum quendam.*

7. *Solus autem homo ipsum boni principium apprehendendi facultate initio præditus est, in eum quippe finem conditus, ut esset sacrarium ac templum unius ac summi boni, in seipso subsistentis.*

8. *Genitalis vero culpæ malo boni huius participandi facultate diminutus est, adeoq₃ ab eius sociali commercio elongatus, ut sibi relictus unde lapsus redire nequeat.*

9. *Non tamen ita perditio diuortio ab hoc primo summoq₃ vno in primo creato descivit humanitas, ut ei nec spes prioris status recuperandi supersit amplius.*

10. *Sed spes illa ita altè conditis rebus inest, ut omnem inquirentis curiositatem effugiat, solis verò Ecclesiæ ciuibus per filium*

Plato in
Phileb.

lium προγενέσθαι τὸν ἀπ᾽ πάντων innotuit, ostendentem à sese propa-
gatis mentibus ὡς γένεσθαι seu patrem ἀπογαθόν, qui est crea-
tor & pater omnium eorum quæ sunt extrâ, & à quo, creata
mens, confidens suæ bonitati, liberè defecit, ita fiducia opitula-
tionis eiusdem eidem restituitur.

11. Consistit igitur boni huius recuperandi ratio uniuersa in
ipsius Dei miserentis clementia, nequitia squalore sordidatam
massam per παλιγενεσίαν mundatam priori integritatis condi-
tioni ex gratiâ restituentis.

12. Philosophi igitur hanc summo bono iterum potiundi ἀδύ-
ναμίαν in natura conspicientes, hominemq; suis quasi viribus
metientes, bonum quæsuerunt, cuius tam parandi curam quàm
negligendi licentiam cuiusq; arbitrij primus rerum opifex Deus
permisit esse, unde ἀνθρώπινη εὐδαιμονία dicitur.

1. Eth. 13. Sicut autem unumquodlibet τὸ ἔργον ἀποπλεῖται, teste
4. Meteor. Aristotele, ita & hanc humanam felicitatem definierunt a cōtione.

14. Qualis autem & quæ sit eiusmodi a cōtio curiosè quærentes,
in hanc sententiam delati sunt, esse eam animæ intelligentis o-
perationem, contemplando veritatem inherens, agendo iu-
stum persequentis, optimum enim in homine præstantissima eius
parti inesse consentaneum est.

15. Hæc a cōtio uno nomine virtus dicitur, non quidē habitum
denotans ociosum, sed ἐνεργητικόν, id est, consentaneis a cōtionibus
in publicum emicantem.

16. Hæc siue perfectio, siue finis hominis beatitudo vocatur,
& quidem ἀνθρώπινη seu humana, quod tota arbitrij est ac volun-
tatis libera, sibi enim suisq; viribus relictus homo cum virtutis
προαίεσθαι concipere potest, tum eiusdem consilio officiosè agere.

17. Tota autem virtutis proeresin acquirendi ratio in rectè
agendi consuetudine sita est, unde rudimentum eius ἡθός, id est,
consuetudo dicitur: Actio enim sæpè iterata habitus firmitudi-
nem inducit.

18. Iustè igitur agendo iustitiæ propositum, fortiter fortitudi-
nis pa-

nis paratur habitus, ceterasq; virtutes omnes studio ἢ ἐπιμελείᾳ
πρὸς induci experientia constat, ex quibus oblata agendi occasio-
ne consulta actiones resultant.

19. Eadem quoq; affectuum moderandorum ratio est: Ira e-
nim, libidine, amore, odio, ceterisq; animi motibus immoderatè
profusis, sæpius rationis imperio subiugatis, nec quo rapiunt fre-
no laxato, tandem moderati ac laudabiles efficiuntur.

20. Nulli enim tam violenti sunt, ut certi propositi muro ob-
iecto compesci, domari, & ad colenda virtutis officiũ traduci
nequeant, nec ulli reperiuntur adeò rationis descriptioni indomi-
tè reluctantes, ut tuta ac laudabili via ad vitæ beatæ statum du-
centem sequi nolint.

21. Neq; etiam Stoicorum probanda sententia, affectibus, qui
proximè à sensu excitantur, cum quispiam ad iudicium, verumq;
expetendorum ac fugiendorum discrimen peruenerit, prorsus
renunciandum esse, ut non modo parum utilibus amplius ad sapi-
entiam, sed etiam perniciosis.

22. Quod autem perfectè suum sapientem omnibus illis moti-
bus, tanquam morbis quibusdam exemptum volunt, vix huma-
nioribus minusq; brutis eidem relictis, corporeis tamen, ut pie-
tate in parentes, benevolentia in amicos, misericordia erga affli-
ctos, metu infamiae, cupiditate honestæ opinionis, id eis contra
apertum naturæ iudicium defendendum relinquimus.

23. Rectius Peripatetici non modo hos ut naturæ perfectio-
nes retinendos, sed etiam illos qui à rationis imperio longius di-
stant animorum motus, & ad pecorum humilitatem quàm proxi-
mè accedere videntur, conseruandos esse asserentes.

24. Primò, quia per se boni existentes non solum naturam
iuuant, sed partem etiam humanæ naturæ constituunt.

25. Secundò, quia ad auream illam mediocritatis regulam
reducti, usus eorundem in virtutum officijs exequendis amplif-
simus esse potest, sunt enim incitabula quedam ad virtutem.

26. Fortitudinis habitum irarum ardor in agendi palestram

enocat, metus eundem ne immoderatè effusus impingat, inhibet,
& ne rationem anteuertendo ἀποπειρα quadam temeritatis &
audacie probro polluatur, cauet: Inuidia laborem & industriam
alit, verecundia incontinentia cohercet impetum, ambitio ani-
mositatem ad omnia tendentem incitat &c.

27. Singuli igitur affectus ratione quasi diuina dictatura
correcti, virtuti famulantur, vno quolibet suam operam pen-
sumq; rationi ut Domina accommodante.

28. Porro cum dicta actio virtutis inducenda studio susce-
pta, rationis lumen requirat, monstrantis non solum quid, ἀλλὰ καὶ
πῶς πράξεον, utrumq; dubitatur, primò, quibus disciplinis lu-
men illud ostendens officiorum rationes principia ac causas ac-
cendendum sit.

29. Deinde quibus veluti incitamentis destinatum illud pro-
batis actionum muneribus propositum occupari detineriq; debe-
at, ut impetu tendat qua ratio eundem suadet.

30. Cum autem historia negotiorum ac rerum gestarum o-
mnem laudabilis vite rationem continere existimatarum narra-
tione abundet, nec alibi omnium virtutum ac vitiorum illustrio-
ra exempla proposita sint, videtur vna ac sola rectè sapiendi be-
neq; agendi schola esse, in quam beata vite rationem cognoscen-
di studio flagrantis posthabitis alijs ablegandi sint.

31. Accedit & hoc, quod historie scelerum agitatis consilijs
infelices, virtutum conatibus plerumq; secundos successus tribu-
ant, unde liberalia ingenia, in vite tamen officijs cacutientia,
mirificè ad virtutis cultum, refranata vitiorum libidine, ac-
cenduntur.

32. Iuvenes igitur, quamprimum per aetatem intelligere in-
cipientes humana dignitatis eminentiam aliquam esse, quae vna
neglectis ceteris omnibus curanda sit, statim in amplissimum hi-
storia campum educendi videntur.

33. Hoc ita statuatur, rectè nec ne deinceps, cum veritatis a-
more, tum virum beatum adeoq; idoneum Reip: praesidem exhi-
bendi studio distenti constituendum nobis.

34. Cum

34. Cum autem rei inherentiū veritas non nisi re ipsa cognita deprehendi possit, questionis huius ambigua veritas ab ipsius historia ratione & natura sumenda videtur.

35. Est autem cuiusq; cognitionis tyrocinium primum in ipsa cognoscenda rei voce positum: verum enim est quod alicubi Aristoteles asserit his verbis: ἐστὶ τὰ ἐν τῇ Φωνῇ τῶν ἐν τῇ Ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, liceat ergo mihi in negotio Philosophico, leui ex parte Grammaticum agere. de interpretat. cap

36. Tam historia quàm historici nomen Gracum est, descendens ut quibusdam placet ab εἰς & ὁράω, ex quarum coitione fit εἰσορέω quod est inspicio.

37. Hinc verbale εἰσορέω quod est inspectio seu contemplatio descendit, & per Epenthesein intercalata litera τ fit ιστορέω.

38. Erit igitur iuxta hanc Etymologiam historia εἰσορέω contemplatio seu inspectio quadam rei cuius historia esse dicitur.

39. Quod si εἰσορέω seu contemplationem hanc translata accipias pro eo quod est percipere seu cognoscere, erit historia idem quod rei intellectus, sicut enim oculis rerum sensilium species percipiuntur, ita mente animæ oculo existente τὰ νόητα εἶδη apprehenduntur.

40. Sed hæc minus commoda videtur Etymologia, cum quæ rerum etiam esse potest, quarum non datur intuitus, tum quia coacta est & longius petita.

41. Vicinior igitur Etymologia est verbum ιστορέω, unde verbale nomen ιστορέω palliata quidem, at usu longo togæ amictu donata dictio descendit.

42. Hæc Etymologia ratione varietatis significationum convenientior est, primò enim τὸ ιστορεῖν significat nosco ac scio, teste Gellio, unde Valerius Flaccus definit historiam rerum presentium cognitionem. lib. 5. cap. 10.

43. Secundo teste Budæo significat inspiciere, unde Plutarchus: Ἀνέβαισεν εἰς Ἀντιόχειαν ιστορήσαι τὴν πόλιν: id est, Venit in Antiochiam volens inspiciere urbem. In Lucullo.

44. Ter-

44. Tertio accipitur pro inquisitione ex pluribus singularibus
observatis τὸ ὅλον inductionis progressionem colligente, unde vi
2. de ani- mentis abstractiva scientia inducitur, sic usus est Aristoteles his
ma. verbis: δῆλον δὲ τὸ ἐκ τῶν ιστοριῶν καὶ ἀνατομῶν, id est, clarum
hoc est ex inspectionibus & dissectionibus.

45. Historia igitur hac significatione est experimentalis qua-
Arist. in dam notio, variorum euentuum: ex quibus scientia inducitur
fine 2 post. ἐκ τῆς ἐμπειρίας ἡρεμήσαντος τὸ καθόλου γίνεται, id est, ex quie-
scente experientia nascitur uniuersale.

46. Vltimo significat ιστορεῖν idem quod narrare seu comme-
In com. in morare, hinc teste Budeo τὰ ιστορούμενα sunt res seu negotia narra-
Gracam tione memoriae tradita, hoc sensu dixit Theoprastus: τῆς δὲ καθ'
lin. ἑκάστη βίης ιστορήσαι, singulatim vitas recensere.

47. Errant igitur historiae appellationi tantum rerum nar-
rationem subiiciendam existimantes, quas proprijs oculis narrans
ut αὐτῶν ἴδῃ vidit, cum vis vocabuli longè uberiores nobis signi-
ficationum suppellectilem exhibeat, nempe rerum omnium, quae
sensibus pariter atq; animo observatae sciri ac conspici possunt.

48. Cum autem historiae nomen respectum ad alia sibi iun-
ctum habeat sine quorum notione percipi nequeat restat omni-
nò disquirendum, quanā & qualia huic dictioni subiicienda sint.

49. Hoc ut eruditè & constanter fiat, animi oculis cum cor-
poris ad remotiora peruenire nequeant, τὸ πᾶν, quod ornatus
causa Gracis κόσμος, nobis mundus dicitur perlustrandum est.

50. Hoc uniuersum duabus partibus coagmentatum est, una
Aetherea, altera Elementari; quarum illa uniformitatis statum
obtinet, nullis vel partium detrimentis, vel accessionibus ob-
noxia: haec motibus & mutationibus continuis exposita, peren-
nem accedentium & recedentium fluxum sustinet.

51. Dicimus igitur ut conditi operis uniuersi moles aspectui
patet, ita eiusdem historiam esse posse: Et quidem Plinius uni-
uersi mundi historiam posteritati reliquit, Ptolomeus, Ignatius,
Aratus, caeli eiusq; partium descriptionem contexuerunt.

52. Ele-

52. Elementarem naturam dupliciter consideratam animaduertimus, primò quoad situm partiumq; numerum, quantitatem ac locorum differentias, deinde quoad ipsam substantiam, operationes & effectuum varietates.

53. Priori modo huius orbis historiam nobis Ptolomæus, Solinus, Mela &c. exhibuit: Alij partem eius descripserunt, puta hic Asia, ille Africa, noui etiam orbis formam expressit Columbinus.

54. Addiderunt tamen nonnunquam incolarum mores, animantium formas, alijsq; loci cuiusq; proditis miraculis ac beneficijs.

55. Posteriori modo quoad ipsam substantiam, indeq; promanantem Energiam considerata mundi huius pars, subdiuiditur in vitæ participem & eiusdem expertem. Vita carentes partes sunt primò simplicia corpora quatuor: deinde cetera omnia, ex primordialibus istis coagmentata corpora vulgo Mixta vocata.

56. Hoc modo considerati Elementaris globi descriptio, Philosophica magis quàm historica censetur esse, & ab Aristotele Philosophorum principe illustrius, quàm ab ullo alio posteritati proposita.

57: Vitæ participantium triplex ratio est, aut enim sine sensu aut cum sensu copulatam eandem obtinent: illius generis sunt omnes terra prouenientium species, infinita penè varietate multiplicata, ut frutices, herbae, plantae, arbores, omnis generis semina, quarum descriptionem inter veteres Theophrastus, item Dioscorides nobis exhibent. Huius verò generis sunt omnigena animalia, quorum historiam in tractatu de historia animalium Aristoteles persecutus est.

58. Geminis hisce vitæ gradibus, superioris vitæ actum homo sortitus est, intelligendi nimirum & liberae electionis facultate donatus, vitæ principio inferior Deo, quouis verò animali eminentior.

59. Homo igitur ut animal multiplex, variamq; sui considerationem admittens, ita eius isogia, vel si placet, isogia ceterorum multiplicatio est.

60. Hæc varietas eidem inherentium ambitu circumscribenda videtur, quorum tria præcipuè eminent: cogitata seu animi conceptus, deinde proloquia, ultimò operationes.

61. Ad conceptus animi refero dogmata & opiniones, tam speculabilium quàm practicarum rerum, à diuersis diuersas, quæ vulgò placita dicuntur.

62. Hæc vel singulorum hominum propria sunt, ut Platonis, Democriti, Pythagoræ &c. vel totius alicuius gentis, qualia sunt gentis Moscoviticæ, Turcicæ, Helueticæ & aliarum, quarum expositiones historia rationem obtinere nemo inficias ibit, Sic Laërtius Stoicorum, Pyrrhoneorum, Academicorum dogmas recensuit: Plutarchus quinque libros de placitis Platonis conscripsit.

63. Dictorum duo genera haud absurdè constituuntur, aut enim breuia sunt, argutaq; animi abrupta siue principum siue priuatorum hominum, sensum aliquem notabilem exprimentia, aut disertiora: prioris generis sunt prouerbia siue facetè siue grauiter prolata; posterioris sunt disputationis, dialogi, colloquia rationum ac causarum additione illustrata.

64. Pertinere autem eiusmodi pronunciatorum enarrationes ad historia rationem, ut non nisi peruicacibus in dubium vocari potest, ita utriusq; generis scriptores exstant; de regum imperatorumq; scitè dictis apud Plutarchum exstat liber, qui Apophthegmatum titulo inscribitur. Idem conscripsit Laconica
lib. 2 cap. 1 instituta, Laconica Apophthegmata. Macrobius testatur quendam libertum consignasse libros de Iocis Ciceronis patroni sui.

65. Ultimò restant in homine facta seu res gestæ, ex quibus noua peculiaris prodit historia differentia, facinorum siue virtutis siue vitij exempla, modumq; peractorum proponens.

66. Hæc in duplici distinctione est, aut gentium populorumq;
item

item summorum ducum res gestas exponit, aut singulorum hominum siue illustrium siue plebeiorum facinora, a deoq; vitam uniuersam describit, cuiusmodi historiae speciem Elogia Iouij de uiris illustribus obtinent, Plutarchi volumen de uitis Philosophorum &c.

67. Quam longè latèq; sese extendat historia ratio, qualium item & quantarum rerum profiteatur expositionem $\omega\varsigma \epsilon\nu \tau\acute{o}\tau\omega\omega$ ostendimus; restat ut amplitudinem eius fusam explicatamq; contrahamus, ac oratione finitiua circumscriptam, ueluti in tabella depictam intuentium oculis obijciamus.

68. Hic in arduo constitutis, undiq; ruinae periculum nobis imminere conspiciamus, alij enim aliter de natura eius sentientes, aliter etiam definiunt eandem, quibus ut contradicendo arrogantiae probrum timendum nobis, ita suscepti patrociniij ausum causae parum probatae temeritatis culpam nobis conciliaturum metuimus.

69. Cicero definit illam testem temporum, lucem ueritatis, de Orat 2 vitam memoria, magistram uitae, nunciam uetustatis. Sed effectum potius & opus historiae hic exprimi, quam essentia ac naturae eius rationem definiiri facile consideranti intelligitur.

70. Idem definiit illam narrationem rerum gestarum, sicuti 1. ad Herren. 2. de gesta sunt.

71. Praeterea uocauit illam narrationem rerum remotarum Inuent. à nostra memoria.

72. Vtraq; claudicat, haec amplitudinem, limites eius nimium constringendo truncat ac mutilat, cum non solum remotarum sit historia, sed etiam praesentis memoriae esse possit: illa nimium proferendo peregrina ac dissentanea eidem agglutinat, singula etenim facta, operaq; effecta Carbanarij, sutoris, Vespilionis &c. historiae rationi subijcere ineptum est.

73. Ipsum deniq; genus illegitimum esse uidetur, non enim narratio est historiae ratio generica, potest enim sine memoria illa rerum siue notio non solum narrando praesentari, sed etiam

pingendo, sculpendo, vel alijs figurarum characteribus notari ac conseruari.

74. Præterea non ubiq³ historia est rerum gestarum narratio, sed etiam annotatio quædam rerum, harumq³ adherentium in quibus nudus existendi actus, huiusq³ propagandi modus consideratur.

75. Cum igitur magnorum ducum, principum, ac Rerumpublicarum victoriæ, strages, triumphus, duella in tabulis depicta contuentium aspectu presentantur, ut verè sunt εἰδωλα primò sensum deinde phantasiam mouentia, ita historia rationem & finem continent, posita tamen definitionis angustiam non ingrediuntur.

76. Finem continent, quia virtutibus paratum gloriæ decus intuentium oculis proponentes historia, mirifico desiderio ad similem dignitatis claritatem contendendi generosos animos inflammant.

77. Hinc est, quod homines φιλοθεόποιοι εἶναι dicuntur, eodem i. Metaph sensu quo Aristoteles dicit τῆ φύσει ὀρέγεσθαι τὸ ἰδεῖναι, id est, nature instinctu appetere scire homines: oculi namq³ præ cæteris sensibus ad rerum scientiam comparandam faciunt plurimum, ut non immeritò sapientie causa à Platone dati perhibeantur, oculi siquidem vis mentis energia vel iuncta est vel simul agunt.

78. Hæc igitur est vera, suoq³ definito conuertibilis historiae ratio seu finitio, quod sit memoria rerum, cuiuslibet temporis siue litteris siue quomodolibet aliter conseruata.

SECUN-

SECUNDA DISPVTATIO
DE ORDINE QVO IN SAPI-
ENTIAE, RECTEQVE VIVENDI STV-
dio versandum, sit ne ab historiae lectione, an, à
Philosophiae cognitione exor-
diendum.

Propositio prima.

Propositum ἀπορία num benè beateq; viuendi ra-
tio historiae insit, & ab eius lectione vitæ laudabile
studium exordiendum, eiq; ut fida rectè sapiendi di-
sciplinae inherendum, ex declarata historiae natura
decidendum est.

2. Nota autem questionem presentem de duabus tantum hi-
storiae speciebus loqui, dictorum nimirum ac factorum à consilio
& deliberatione dependentium memoriam exhibentibus.

3. Ceterae species, ut iudicium veri, non etiam proeresin re-
gunt, ita nec ad hanc questionem pertinent, de ordine humani-
tatis extremam summamq; perfectionem hominis continentium
disciplinarum propositam.

4. Primò igitur validissimè pro historia haec militat ratio,
quod nullibi virtutum ac vitiorum exempla illustriora proposita
reperiantur cum utriusq; generis effectu, pæna videlicet & pra-
mio, quam in historiarum monumentis, quorum consideratio vi-
tiorum horrorem, virtutis desiderium incurit lectori.

5. Nos tamen firmis rationum momentis subnixi, recte ac
solide ad felicitatis extremum contendendi institutionis discipli-
nam penes historiam esse negamus.

6. Historiographi etenim dictorum atq; factorum memorabi-
lium exempla proponunt solummodo, & ab obliuionis memoria
vindiciant, non etiam quod probum vel improbum, iustum iniu-
stumue sit exponunt.

7. Vel enunciant quidem facti cuiusq; indolem, nullis rationum ac causarum momentis enunciatum firmantes, & sic non quo maxime debebant historiae, lectorem perducunt: sed quo propendet animus, vel impotenter trahit libido- permittunt ire.

8. Dupliciter igitur nuda eiusmodi virtutum exempla laborant, primo quod per se manca ac mutila sint vitae documenta, cum absoluta perfectaq; vitae disciplina causarum ac principiorum explicatione constat.

9. Secundo, quod eis nulla vis insit torpentes ac desides animos ab ocio excitatos ad virtutis facinora impigre capessenda: tunc enim dicta, actionumq; exempla valent, cum quod iubent vel prohibent ratione munitur.

10. Animus enim, vel errore praecipitatus vitium pro virtute amplectitur, vel in utriusq; discretionem prudens cautusq; satis, at libidini & voluptati mancipatus, non nisi rationum violentia à libidinis obsequio abduci potest: quin quo natura ducit vel impotenter trahit libido, ruit, frustra vel propria ratione reclamante: vel historiaram obnunciatis reuocantibus.

11. Ut igitur sequi velit animus quo exempla ducunt, vel praetium esse claris viris historiae docent, non sufficit solitaria iusti & iniusti enunciatio, sed demonstratione causarum adhibita erudiendus est, & falsa persuasionem quasi ligatus animus rectae institutione liberandus.

12. Huc accedit quod non ubiq; bona fide historici laudent laudanda, reprehendant reprehendenda exempla quae commemorant, quin saepissime encomijs ornant, quae natura damnat, & econtra accurata officij rationi consentanea pro damnatis reijciunt.

13. Hoc falsum de rebus in historijs occurrentibus iudicium oritur ex impotentia prauitatem à rectitudine in proprijs actionibus discernendi: par enim difficultas est, de sua & aliena vita recte iudicare, & utrobique eadem ratio.

14. Et si autem cui libet recte nato discrimen honestorum & turpi-

turpium innotuit, datusque est ei appulsus ad honesta, & recessus à turpibus, tamen de bonis & malis non est idem iudicium, quin in horum electionis & fugæ deliberatione errare labique contingat.

15. Quotus enim quisque est, qui nulla institutionis anticipatione adminiculatus incidens in historiarum lectionem, non perperam clarorum virorum obuia facinora iudicat? Vel quoties ratio illa per naturam angustè indulta in actionis puluerem educenda est, non ipse in modo agendi fluctuat, hesitat, dubitat, in quo tamen negotio nemo non sibi satis cautus & doctus propter imperitiam esse videtur.

16. Accedit & hoc, quod ipsa virtutum nomina sæpè fallant: omnia retaliare, animoseque illatam iniuriam vlcisci vel propulsare, nihil inultum relinquere, fortitudo communi vulgi errore putatur esse, cum eiusmodi actiones bruti potius & temerarij ausus sint, quàm considerata rationis officia, à cuius prescripto fortitudinis facinora nunquam recedunt quorum maximum est seipsum vincere.

17. Suis commodis seruire, omnia questui habere, remotis mente inhiare, commodis presentibus auaritiæ digitos admouere, sapere in primis, & prudentiæ munera implere consimili statuitur errore, cum potior eius pars vel ratio eius vniuersa consistat in mentis habitu solis honestis inherente, ceteraque cum iuuantia ut bonæ mentis frugem, suffocantes spinas contemnente, vel moderatè utente.

18. Quàm multi sunt calliditatem pro sapientia, Iustitiæ exactam executionem ut seuitiam & crudelitatem in iudice damnantes, Ignauam verò & remissam clementiæ laude ornantes? Eidem huic censuræ difficultati liberalitatis officia obnoxia sunt, tam prodigus enim quàm tenax liberalitatis nomine celebrari expetit, uterque tamen ab eius officio recedit, Unde rectè Poeta.

At nos

Horat. lib
1. Serm.
Sat. 3.

At nos virtutes ipsas inuertimus, atq;
Pro benè sano

Ac non incauto fictum astutumq; vocamus.

19. His accedit quòd laudent nonnunquam historici vel vituperent acta ex iudicio loquentium: sententias etiam ac iudicia vulgi deteriora ubiq; probantis, aut in huius moribus educatorum non suas per sepe recensent, quas historiaram lectòr rudis, nec anticipata doctrinæ lumine iudicij discussis tenebris, vitæ normam sibi proponit, unde seipsos falsis opinionibus inquinant, Remp. turbant, plus exemplo quàm vitæ ipsa nocentes.

20. Sæpe etiam odio aut fauore rebus ambigui iuris interposito iudicio laude tollunt, quæ nominari honestè nequeunt: talia non qua ducere lectorem debebant proposita vitæ exempla alliciunt, sed quo maximè abducendi erant, eo cogunt, pellunt, incitant.

21. Vt enim quilibet animo est affectus, ita de rebus vel suis vel alienis iudicat, iudicium actio sequitur, omnium siquidem actionum hominis sani principium ratio est.

22. Ratione igitur vel nulla vel mox, òneq; prælucente necessariò sequitur eiusmodi historiaram belluones, cum omnia inuident nec in sua nec in aliena vitæ constituere posse, quod tuto sequantur.

23. Non solum igitur huiusmodi incerti animi historiaram lectores miseri sunt. quod quo referenda sint humana omnia ignorent, sed etiam & forsitan magis, quod nihil parati, nihilq; opis eisdem ex historijs depromere possint, cuius usu quò eundem est peruenire possint.

24. Nonnullos insuper hic error & falsa opinio infecit, historiaram esse actionum doctrinam, disciplinam, rudisq; iudicij informatricem, cuiusmodi error vehementer inconsideratam historiæ inuasionem firmat suadetq;.

25. Sed hac in re mirum est, quàm sese fallant plurimi, ne-
riquam enim historia legentem docet, sed docto materiam præ-
bet,

bet, exempla proponendo omnigena consiliorum, factorum & utriusq; euentuum, ut qualiter quisq; animo est affectus, taliter agendi exempla in conspectu habeat.

26. Haud absurdè igitur historiam conuiuio opiparo, omnigenisq; luxuriæ cupedijs referto comparet quispiam.

27. Sicut enim in tali conuiuio, prout quisq; palato est affectus, appositis delectatur, aliaq; alijs arrident, sua cuiq; placent, voracibus omnia, paucis eadem probentur, ita etiam in amplissimo illo vitæ theatro historia mille viuendi formæ proponuntur, diuersis diuersam probantibus, vno quolibet suis moribus ac studijs familiarem eligente, ac pro virili exprimere in vita connitente.

28. Maiori adhuc damno historiae lectioni inhaerent, qui suauitate lectionis delinuti, nihil ad actionem nihilq; ad vitæ correctionem inde decerpunt, sed in sola fugacis voluptatis oblectatione mirabiliter cadentium euentuum deliciantur, temporis radium à pectore potius veluti ad cytharæ cantum otia fallentes, excutientes, quàm ut animo, quod historia vnum propositum erat, ad virtutis respectum conuerso, nequitia malo sese eximant,

29. Reperiuntur etiam qui ex historiae lectione, si vacui accedant nec prius de fine bonorum edocti, nihil præter inane sapientie ac doctrinæ laudem venandam existimant, nec aliud sapere putant, quàm varias res, bella, prælia, urbium excidia, Imperiorum constitutiones & ruinas legisse, horumq; & similium narrationes in congressibus & theatris ebuccinare, domos, theatra ac cathedras vaga illotaq; loquacitate replere moratum esse existimant.

30. Hi ita desipiunt, ut communi sensu ne exuti videantur laborandum potius, quàm ne eorum sapientiam vulgi ruditatis superare credatur, cauendum.

31. Non enim scientia in τῆς ὅτι apprehensione, id est, factum dictumue aliquid sit nec ne consistit, sed potius in dicti vel facti
C cuiusq;

cuiusq; iuris ac causarum virtutis adhibita regula notione, quo in negotio ut $\delta\omicron\zeta\omicron\omicron\omicron\omicron$ omnes, doctos satis, solertesq; sese existimant, ita nemo nisi alibi institutus eiusmodi habitus perfectionem verè sibi sumere potest.

32. Hoc destituti habitu historiae lectionem inuadentes histrionum spectatoribus similiores sunt, quàm rectè sapientibus, pluris purpuram quàm virum facientibus: aut ædificiorum contemplatoribus, emblemata ipsis operum structuris proponentibus.

33. Hæc incommoda omnia imperita historiae lectio affert, quare ad tam dubiam, tamq; ancipitem viuendi disciplinam, iuuentutem rudem adhuc nec quid in rebus agendis probandum vel cauendum scientem ablegare inconsultum est.

34. Prius igitur quàm in historia amplissimum campum, varijs officiorum floribus vernantem educantur bonæ spei adolescentes, certo iudicio de bonis & malis, honestis & turpibus imbuendi sunt, sicut enim lana purpuram bona fide potura certis medicamentis inficienda prius, ita & pueros aliarum doctrinarum succo imbutos, ad historiae tincturam recipiendum accedere oportet, qui succum sibi familiarem cognatumq; solum attrahat, attractum retineat.

35. Sine institutionis huius anticipatione tractata historiae usus earum planè dubius est, & infinitus nec beatè nec miserè viuendi propositum firmans, sed exempla utriusq; proponunt cuiuslibet eundi relicta libertate, quo impetu ducitur.

36. Sicut igitur in conuiuio cupediarum multiplici apparatu, varia voluptate hospites afficiente, quod unus pro vesco & ædioso respuit, id alij pro suauis ac delicato liguriunt, modus tamen requiritur, certumq; alimenti genus, naturæ quàm maximè accommodatum: quo non adhibito, onerantur potius viscera, naturaq; affligitur quàm iuuatur, ita quoq; regula quadam opus est in totius illo vitæ humane proposito epulo, ad quam vnâ infinita illa viuendi ratio referenda sit, quam qui tenet, & sequitur solus rectè vita vitatur ipse, & de aliorum scienter iudicare nouit.

37. Re-

37. Regula hæc, seu norma ad quam omnigena vitæ exempla in historijs proposita exigenda sunt, Ratio est, cuius perfectio Ciceroni virtus dicitur, mensura & norma existens humanorum omnium. s. de finib

38. Sicut igitur virtus animi affectio sancta est, & natura consummatio, laudabiles efficiens eos in quibus est, & ipsa per se sua sponte, separata utilitate laudabilis, ita ab hac solum profiscuntur voluntates honestæ, harumq; indiuiduæ comites iustæ ac moderatæ actiones, ut pietas, religio, sanctitas. Plato in
Entyph.

39. Hinc utrumq; sequitur, cum historiæ monumentis conseruanda dictorū factorumq; exemplata, una virtutis norma metienda esse, tum eos solum idoneos earundem lectores esse, qui virtute id est recto de rebus iudicio instructi, easdem cognoscendi studium inuadunt.

40. Sicut enim ratio seu virtus nil nisi sanctum, iustum ac moderatum probat, ceterorum dignitatem, ex usu quem huius promotioni afferunt æstimans, ita nec quicquam in historijs obuium vel laudat, vel sequendum suadet, quod non rationis dictature, veluti vni ac soli bonorū malorumq; incorruptæ arbitriæ facultati congruit.

41. Hoc igitur rationis lumine historiæ lectioni non prelatato, obscura erit, & inutilis, forsitan etiam noxia, cum nec erroribus de bonis & malis ligatum animum soluat, nec moribus prauis assuetum ad melioris vitæ respectum conuertat, quin potius cuiusq; libidini familiaria exempla proponendo ad reprobam vitam auocet.

42. Sed hæc rationis vis, in recens natis ita imbecilla est, itaq; in rerum differentias ostendendi munere hebetata acies eius, ut penè nusquam appareat naturæ integritas.

43. Id circo animam haud absurde tabella instar obtinere dixit Aristoteles ἐν ᾧ μηδὲν γεγραμμένον ἐντελεχία ὑπαρχη, id est, in qua nihil actu inscriptum inest. 3. de ani-
ma

44. Omnium tamen rerum species suscipiendi potentia prædita

dita est, quarum actus ingenuarum artium ac Philosophiae studio introducendus est, cuius nomine gloriose humanarum ac diuinarum rerum γνῶσις sese profitetur.

45. Sunt autem tam diuina quam humanae res unius & eiusdem generis, eadem enim quae humana, etiam diuina dicuntur, respectu solum differunt.

46. In semetipsis etenim & per se considerata ὡς ὄντ' &, non quatenus sunt aliquid in aliquo, diuina esse dicuntur: sicut enim perpetuitatis conditionem obtinent diuina omnia, ita & ἁπλοῦς ἀπὸ τοῦ πρώτου θεοῦ, principio causatae perpetui status uniformitatem seruant, cuius conditionis respectu τὸ θεῖον τὸν μετέχον Aristoteles testatur.

47. Labilis vero materiae consortio unita, humanae dicuntur, quia ut homo fragilis est, & ob insensibilis effluuij detrimentum in breuitate vitae constitutus, ita condita omnia vsibus eius accommodata, ancipite omnino & dubia lege, bona malaque eidem esse possunt.

48. Hunc usum rerum mortalibus ostendens Philosophia, medicina, dicitur tota in eo consistens, ut salutarium & noxiarum precepta differentia indiuiduis singulis vitae usuram efficiat diuturnam.

49. Similis ratio est animae bonorum, cuius nomine veniunt honesta, iusta, sancta, moderataque omnia, quae una generali que voce καλὰ καγαθὸν dicuntur, in seipso etenim consideratum, diuinum dicitur, quia diuina uniformitatis ac essentiae permanentiam ubiuis locorum ac temporum constanter retinet.

50. Hoc ipsum vero actionibus copulatum, & ex seipso quasi recedens bonitatem suam in vita communi exercens, humanum dicitur, non modo quod humanitatis forma quaedam & perfectio est, sed quod varium incipiat esse, & Euripo penè mutabilius, prout actionum, sub quarum umbraculo sese venditat, constantiam mutatur.

51. Aliter etenim conuersandum cum seruis, aliter cum ingenuis

genuis, alia itidem iura parentum ac liberorum officia commendant: peculiaribus etiam maritus & uxor mutuo obligati sunt. cum τὸ ἀρχεῖν καὶ ἀρχεῖσθαι equato quodammodo iure alternent vices, ut exiguntur varia ita plurima debentur, non pauciora honestè negantur.

52. Hec omnia circumstantijs mutatis variant, rectèq; vel perperam fieri possunt, prout loca, persona, tempora perpetuò fluunt & à priori statu subinde recedunt.

53. Politica societatis officia magis variant, in hac enim varè inter varios contrahendum est, longè igitur cognitu difficilius est ipsum δίκαιον, ut rectè dixit Philosophus τὰ καλὰ καὶ δίκαια πρὸς τὸν ὁ πολίτην σκοπεῖ ἅδ' ἐστὶν ἕχθ' ἐστὶν, quod enim modo æquum & iustum est, id paulo post longissimè ab officij ratione recedit, huic vel rectè prestitum vel negatum, id mutatis circumstantijs obseruari vitiosum potest esse.

54. Item rerum dominia acquirere, acquisita tueri, ampliare, officij sanctimonia non repugnat, sicut nec alienum est ab honesti ratione clarum nomen fameq; decus acquirendi consilium. Ad actiones vero ubi deuentum fuerit, ita ambigua fit iusti ac honesti ratio, ut coniectura potius & arbitrij videatur esse quàm scientia.

55. His conuersationum modis accedunt inuoluntarij contractus per astutiam aut violentiam contracti, in utroq; actionum genere, ut compensari interuenientem iniuriam rectum esse communi intelligentia statuendi facultas data est, ita modus ἐπιανόρθωσιν adhibendi latet omnes.

56. Alibi igitur informato iudicio ad horum exemplorum considerationem accedere oportet lectorem, nisi velit in eorundem imitatione vel fuga turpiter labi errare & decipi.

57. Tota autem informatio illa ethica & ciuilibus prudentia beneficium est, quarum illa exactam ipsius honesti ac natui iuris indolem in sua essentia ac nature sinceritate consideratam tradit.

58. Hæc verò eandem à contemplationis secreto educatam, negotijs hominũ implicatam, consociatamq; aspicit, querens non quid iustum sit, sed quomodo ipsum iustum, iuste etiam peragendum vel peractum sit, qua in re tanta difficultas est, ut habitus eius muneris, arte exiguus, facultate amplissimus esse videatur, ideoq; prudentia potius, quàm scientia definiendus.

59. Geminae huius rectè viuendi disciplina lumine prælato, omnium dictorum ac factorum ambigui iuris exempla in historijs obuia discerni possunt, & que fugienda vel sequenda cognosci, ut enim Philosophia & hica boni ac mali incorruptum iudicium efficit, ita ciuilis doctrina iustarum, ac iniustarum actionum arbitra facultas est, historiam comitem non ducem assumens.

60. Quocirca utriusq; discipline rationali habitu historie lectorem instructum esse oportet, alterutro destitutus, quod purum est impuris manibus impiè conspurcat, ingenerosumq;, & à sapientis dignitate remotum quiddam ad imitandum sibi arripit.

1. Erb. cap. 6. 61. Quod autem Cicero, & huius auctoritatem sequentes historiam vocat vitæ magistram, id quomodo defendant, ipsi videant: nobis cum vel veritas deserenda, vel amore dignis contradicendum οσιώτερον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.

1. Tusc. Quest. 62. Hoc solum dicimus quod idem Tullius quasi ipsum sese corrigens virtutem hanc Philosophiæ tribuat: vocans illam vitæ ducem, indagatricem virtutis, vitiorum expultricem, magistram morum: non igitur historia id præstat, quia idem attributum de duobus subiectis, specie discrepantibus inesse nequit, quin ἐν ἐνός ἐστὶ πρῶτον δεκτικόν.

63. Est igitur Ciceronis, & quorundam aliorum historia datum Encomium, fauoris potius, quàm iudicij quod doctrix sit omnium, viuendi magistra, censura morum, utilitatis indagatrix.

64. Quin potius munera hæc omnia Philosophiæ propria officia

officia sunt, hæc enim quod iustum est, hominisq; præstantia dignum rationum immotis fundamentis inquirat ac constituit primo, deinde quomodo, & quibus actionibus id ipsum συγκειμενον nativæ bonitatis indolem vel retineat vel amittat.

65. Non igitur historia vita vel magistra est, vel norma eius, sed id verius Philosophiæ politicae munus est, cui exemplorum additione historia ut famula sedula operam suam accommodat.

TERTIA DISPVTATIO DE UTILITATE historiæ

Prima Thesis.



1. *q* *R*avissima de utilitate historiæ exstat Strabonis oratio ιστορικὰ ὑπομνήματα χρήσιμα εἶναι εἰς τὴν ἠθικὴν καὶ πολιτικὴν φιλοσοφίαν: id est, *historical commentations utiles esse ad Ethicam & Politicam Philosophiam.* lib. 1. Geogra.

2. Hanc assertionem veram esse statuimus, non enim ingrata est discipula, sed quod ab utraq; Philosophiæ parte accepit beneficium, id multiplici gratia eisdem retaliat.

3. Primò Politica: huius enim potissima pars nempe Nomothetica ab historiæ notione dependet, hæc etenim multitudinis mores depingit, ingeniorum varietatem explicatam proponit, quorum præcipuè in condendis legibus ratio habenda est.

4. Dum unum hoc legifer sibi proponat, ut singulis ad honesti respectum traductis, societas uniuersa salua esse possit, quæ in re legum omnium finis veluti cardine versatur, sicut dicitur, *Salus populi suprema lex esto,*

5. Hæc autem honesti informatio, ita solum feliciter suscipi-
tura legum latore, si exploratum habeat quæ cuiusq; indoles sit.
quo

quo animi propendeant, & à quibus abhorreant maximè.

6. Est igitur hæc prima adeoq; longè maxima historia utilitas, quod potissimam politica prudentia partem conferat, dum ex vulgi cognita indole leges promulgeat: Sicut enim uniuersalis & absoluta Iuris ac iniuria notio tota philosophorum est, ita multitudinem ad iusti respectum traducendi politica prudentia munus est.

7. Hæc autem etsi peregrinando conuersandoq; cum varijs paratur, maximè tamen lectione historiarum colligitur, ex his enim mores hominum disparesq; nature cognoscuntur: quibus institutis singuli ut plurimum vel correctiores vel deprauatiores euaserint.

8. Cum enim Nomotheta officium in boni ciuis effectione versetur, sicut eiusdem Philosophi partes sustinentis bonum virum exhibendi propositum est, sanè vis eius Nomothetica consistit in facultate quadam uniuersale ius, ἢ τὸ νόμον δίκαιον, ita legibus innodatum proponere, ut ratione temporum, locorum, & personarum remissa, exacti & rigidi Iuris officia, non etiam abolita esse videantur.

9. Leges igitur cum sensui ac habitudini populi, locorum ac temporum statui accommodanda sint, quæ nullibi apertius expressa ac depicta reperiuntur quàm in historia, patet eximiam huius utilitatem esse in salutarium legum promulgendarum conatu.

10. Dicitur de pictore quodam, interrogato quonam magistro plurimum profecisset, respondisse, illo, porrecta manu populum ostendens. Id legislator longè rectius sibi usurpare potest, cum in cuiusq; legis sanctione attendendum ei sit, quomodo multitudinem, in ciuitatis statum conseruandi studio, salua virtute obsequentem habere, & ab eundem nouandi cupiditate abducere possit.

11. Has causas legifer cumulati in historia expressas reperit, & sic prudentiam Nomotheticam non nisi tempore longo, usuq;

usuq; vario parabilem, historie lector momento sibi acquirit:
Facile enim vnus homo intelligens quid multis euenerit, ac-
commodatiorem publico ocio, & communi ciuium saluti formu-
lam constituit, ad cuius descriptum sese componere & agendo
exprimere velint omnes.

12. Societatem regentis, nomothetico officio proximum
munus est, locupletare eandem copia rerum, ad usum cultumq;
quotidianum requisitarum, cuius muneris facultas itidem hi-
storia beneficium est, sicut enim nullius rei indigentia Reip:
oboriri potest, cuius penuriam non sensere superiora secula, ita
exemplis varijs docet historia, quomodo eidem vel praeventum
sit, vel consilium anteuertens abundantiae procuratione cor-
recta.

13. Cum autem homo homini maximè obesse, vel prodesse
possit, docet ac instruit historia, quomodo hominum studia ad
rerum nostrarum amplificationem demerenda, ac praeheusan-
da sint, quarum item, & quibus societatibus, si publica quera-
tur utilitas, seculis omnibus aucta, vel diminuta sit Reip: salus
quae confederationes salutare, quae noxia fuerint, ac cladem
eidem attraxerint.

14. Horum ac similium omnium prouidam curam historia
docet antè periclitantium fortunam ob oculos ponens, ut alieno
periculo doctus, tuum maturo consilio praecauere possis.

15. Huius usus respectu haud absurdè Dionysius Halicar-
nasseus historia ἄρχῃ φρονήσι & καὶ σοφίας εἶναι dixit. Cui & il-
lud Polybii consentit ἀληθειωτάτην παιδείαν ἢ γυμνασίαν πρὸς lib. 5. ad
τὴν ἀνδραγαθίαν πρὸς τὴν ἐκ τῆς ἰστορίας μάθησιν εἶναι, id est, Prop.
historiam esse verissimam disciplinam, & exercitationem ad
resciuiles.

16. Priuatis etiam siue iisdem doctis siue indoctis usum
eximium in traducenda laudabilis vitae destinato proposito
confert historia. Doctis seu commemoratis Philosophiae disci-
plinis initiatis, quia eis laudabilis vitae diuitem supellectilem

D

exhibet,

exhibet, cuius intuitu primo discendi progressionem concepta honesti ratio confirmatur, tum mira alacritate incenduntur, cognitam honesti formam à contemplationis umbra in actionis puluerem educendi.

17. Indoctus, quia hi ignoratam honesti imaginem exemplis ab historiographis adumbratam cognoscunt, huius impulsu ob elucentem pulchritudinis gratiam, amare eandem incipiunt, amorem sequitur in imaginis similitudinem sese transfundendi studium. Vnde Plato, Si facies honesti cerneretur Phadro mirabiles amores excitaret sui.

18. Hanc laudem non respectu unius virtutis, sed omnium sibi vendicat historia, promissumque eius uniuersale est, non aetate, non sexu, aut vitae genere circumscriptum, sed cuiuslibet fidum est, & indubitata fide promissum illud exsoluit, singulas etenim virtutes nativis exemplis adumbratas illustratasque proponit.

19. Dominantibus precipit ne seuiant, subditis, ne ambitiosè imperio inhiant, honorent superiores inferioribus, amicè vivant, vitent rebellionem, ocium ne ambitione turbent, paribus familiariter utantur, officiosè omnibus.

20. Quid pueris conueniat, senibus graue sit, feminis elegans, quid denique in omnibus vitae muneribus ubique decorum sit, illustribus exemplis depingit.

21. Ex historia igitur, animi profluit constans in utraque fortuna æquabilitas, prospera, ne successu tumidus luxuriat: aduersa, ne metu futuri vel oneri fractus deiciatur, par vitium esse insinuante, effusionem animi in secundis, & in aspectu contractionem.

22. Versari etenim inter homines vim quandam maiorem insinuat, quam ut vel consilio securitatem prudens sibi polliceri, vel in consilio inexplicabilibus salutem desperare debet: Posse enim Deum deliberatis contrarium causare euentum, quem cupiebamus, impedire.

23. Hanc

23. Hanc rerum humanarum stabilem moderatricem providentiam, sub qua ludunt veluti ατέμματα νεφές cogitationes nostra, ita firmam Euripides, & omnes sapientes cum illo, statuit, ut s. Tragedias hoc Epiphonemate clauserit:

πόλλα δ' αέλιος κραινέσι θεοί,
πὰ δὲ Διοκλήδωντα δὲ ἐτελέει
ταῖς δὲ ἀδύνηθέντων πρὶν εὐρεν θεῶ.

24. Hanc igitur canam ac priscam sapientiam Socraticam, ad cuius facultatem paucorum pervenit curiositas, subinde inculcat historia, Deum multa ac præclara constituendi prudentiam contulisse homini, sed consiliorum euentum, præno-scendi facultatem sibi reseruisse.

25. Haud absurdè igitur historiarum lectio humilitas tribuitur moderatè in consultationis successu de sese sentiendi, & aliorum vitam, factaq; proposito potius, ac voluntate, quàm *Ovidius in Epistolis* euentu aestimandi, ut dicitur: Careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta probanda putat.

26. Plurima etiam in historijs exempla cernere licet, ubi firmatum recti propositum, non modo parum honoratum, sed etiam nocumentum optimo cuiq; fuisse discitur, unde magnanimitas concipitur similem animi celsitudinem contra insipientis populi furorem, optimo cuiq; pessimam gratiam pro meritis reponentis.

27. Confert item historia lectio, celsum illud & indomitum animi robur, gloriam si præclaris factis comes derur, assumendi, sin negetur, ut alienum bonum magno spiritu contemnendi, ipsamq; virtutem ut bonum ἀταρξες retinendi amissis ceteris vulgo charis existimatis:

38. Præterea opinionem illam siue argumentis inductam, siue ex natura ipsa arreptam, stultitia vero & vulgi errore passim damnatam, roborat firmatq; evidentibus documentis, nominis celebritatem & præclarum illud gloriæ decus, multitudinis oculos in sese conuertens nullis alijs artibus, quàm virtutis viam grassando, parabile esse. D 2 29. Se-

29. Seriem etenim illorum omnium, quorum elogia historijs celebrantur memoria repetendo, deprehendimus nullum vel imaginum splendorem consecutum viuum, vel post cineres subsequantium etatum memoriam adeptum, nisi quem sua virtus publicae utilitati dedititium fecerit, vel alios conseruando vitam in vulnera posuerit.

30. Omnes deniq; in vulgi moribus educatos, per libidinem turpibus, per auaritiam quaestui, & lucrandi studio inbiantes, vitiosa etiam per inscitiam laudantes, à placitis auocat cupiditatum illecebris, cum nihil ad persuadendum quod expedit, aut ducendum quò velis, exemplorum subiectione validius sit.

31. Hinc accedit, quod improbè agere existimatis perpetui dedecoris stigmata inurat, rectè viuentes perenni gloria honestet, unde illi metu infamiae à malis artibus absterrentur, his generosa laudis emulatione studium honesti subit.

32. Praeterea si historia conferenda sit cum Philosophia, ac momentum quod utriq; inest disciplina, ad rectè viuendi actum inducendum attendatur, videtur longè anteferenda. siquidem illa, altius incedit, rationum ac principiorum inuentione ipsam honesti formam vniuersè considerat, docet & explicat, ideoq; altitudine iudicij & acrimonia mentis causarum inquisitioni aptis vsui solummodò esse potest.

33. Historia vero omnibus exposita est, doctis pariter, atq; indoctis obuia: illis vt confirmetur honesti conceptus, & eundem forsan residem, ac dormientem excitet: his vt in omnis officij aggressione respectum honesti, quem natura cuiq; dedit, retineant, oblataq; occasione, agendo exprimant.

34. Non enim in recens natis extincta est virtutis indoles, sed obscurata, non elisa prorsus, sed oppressa, facileq; vt occultata scintilla leui flatu mota, explicat ignem suum, ita inditam virtutis dovónta historia exempla in actum euocant, nulla etiam ratione addita, natura ipsa exercente vim suam, praesertim eleganti oratione in sententiam contorta: 35. Ita

35. Ita igitur primæ ætatis rudimentum continet historia, ut progressioribus etiam plurima documenta inde sumenda videantur, ita inscitia magistra est ut eius monitis semper uti possint sapientes.

36. Accedit & hoc, quod ipsa inducta personæ Authoritas moveat legentem, ipsosq; affectus penetret, ac feriat, nullo vel rationis aduocato requisito, vel impulsore alio assumpto.

36. Et si autem docti, ac sapientes propria intelligentia sibi viam in rebus agendis monstrare possunt, tamen subinde contra vitiorum varios illices assiduis egent prælucentibus virtutum exemplis, sensus pariter atq; oculos à Philosophiæ scitis contrariis vitij retrahentibus.

38. Ob hanc omnem omnibus benè beateq; viuendi rationem monstrandi vim, haud absurdè pelagi instar historiam obtinere dixeris, in quo sapientiæ pariter atq; stultitiæ humana, virtutis & vitij, naufrage tabule iactate conspiciuntur, ex quibus collectis, quilibet, homo saltem natus, nauigium sibi consuere possit ad totius vitæ humanæ cursum per vadosos scelerum, ac nequitie incedentem fluctus, transuadandum.

39. Reducit igitur historia animum ad memoriam, facitq; ut recta & salutaria antiè sparsa, & fusa, Mens contracta & presentia aspiciat.

40. Non tamen pari successu, quam conferre diximus, ad laudabilem vitæ actum doctis pariter & indoctis opem præstat sed imperitis accommodata, fortuita magis est quam constans & certa, idemq; apud omnes valens, perinde ut corpori adhibita medicina promissam salutem ambigua omnino & dubia fide præstat agro.

41. Doctis verò & alibi initiatis bona fide prodest: rectum enim de rebus iudicium restitans ac basitans, incidens in vitæ officia, argumentis collecta, honestiq; descriptioni consentanea mirificè confirmatur, & ne præcipitanti quadam per partem qua pecudem refert homo, in dementem scitisq; Philosophie

contrariam abripiatur vitam, cauet historia inspectio.

42. Præterea doctis elata mentis fastum deprimit: confidentia tumorem aufert: eius rei cape exemplum, Indoctus ex uno aliquo consilij, & quidem parum fulti ac nitentis successu ita sapientia persuasione intumescit, ut muneris cuiusq; expediendi facultatem sibi suiq; iudicij acrimonia ascribat: mox terra mariq; principatum leuicula potestate auctus condendi in magna iudicij prophanitate ausum concipit, cum sapientia eius penè in sensuum obuijs deficiat, robur non multum vermiculi impetum superet.

43. Aliter initiatus ille, & theorematum uniuersalium de finibus bonorum & malorum gnarus, prudentiam nimirum seu agendorum consultatricem facultatem totam σοφιστικὴν εἰσού, connexionemq; euentuum & consiliorum fortuitam potius quàm necessariam esse, unde quo tendebat consilio perlatus, veluti in præcipitio constitutus maximè timet: in eiusdem infelicitate, prudentia inexplicabilem fortunam optimam celso animo expectat.

44. Agendorum igitur, & fugiendorum prænotio philosophia theorematibus collecta, totum componit hominem, animosq; honesta induit, in prauum inclinatos ad virtutis respectum reuocat, quem deinde historia in iudicio consentaneas actiones educit, animosq; prorsus in cognita transfigurat, cuiusmodi affectio hominis est perfecti, suæ felicitatis apicem consecuti.

45. Ordinatur igitur animus ratione, ipsiq; habitus recti argumentis inducuntur, interim historia partes sunt, singulorum habituum officia monstrare, & conceptum de bonis & malis iudicium confirmare: sicut enim falsis opinionibus de rebus agendis vel declinandis exclusis, non statim sequitur dispectus rerum agendarum, ita nec formatum iudicium immobile est, quin sæpè ad dementiam latente impetu declinans, quo libido trahit, vel populi ducit plausus, ruit.

46. Hu-

46. Huius mali προφυλακτικὴ δύναμις historia inest populo subinde redamanti, virtuti patrocianti, aures bonis exemplis indefinenter vellicanti, eisq̄ vera ac salubria insusurranti, nec sustinenti ut suis discipulis compositæ mentis habitum excutiat populi furor.

47. Ipsa deniq̄ prudentiæ maturitas, tota historia benefici- lib. 1. An-
cium est, uniuersa enim humana prudentia nihil aliud est, tiq̄: Ro-
quàm præteritorum euentuum historijs proditorum lumen, man:
cuius ductum sequens obseruatione collecta sine errore, lapsuq̄
oblata negotia tractare potest, vnde recte dixit Dionysius Ha-
licarnasse historiam esse ἀρχὴν φρονήσεως καὶ σοφίας.

48. Est & hæc singularis historie utilitas, quod si quis falsa opinione de extremo hominis bono infectus fuerit, dogmataq̄ hausserit aliud quàm ipsum honestum in vita respiciendum docentia, hunc præclara in historijs occurrentia exempla reuocant, prauisq̄ opinionibus obligatum animum liberant, malo animi magistro tentari & obscurari animus potest, non tamen indoles eius extinguere quin contra praua nititur, leuiq̄ præsidio adiuta resurgit, & conualescit.

49. Nec est quod dicas, prudentiam recte viuendi destinatum impetum dirigentem, usu parari, hunc esse, cum ad ea que nobismetipsis euenerint, memoriam reducimus, eaq̄ in promptu habemus, quæ olim experti sumus: ætatis enim breuitas multa nos experiri non sinit, nec ad aliquam prudentiæ maturitatem perueniendi spatium concedit.

50. Præterea sæpè tentanda consiliorum est fortuna, periclitandi exitus, id vel nunquam, vel rarò fit absq̄ damno. Quanto igitur prudentia aliorum periculo collecta tutior est vitæ rectorix, quàm cum damnis & calamitatibus proprijs parata sagacitas, tanto pluris faciendum est historia documentum.

51. Bre-

51. Breuiter historia perpetua tuba est classicum canens ad virtutis castra sequendi impetum sumendum, cum omnium historiarum hoc commune sit argumentum, atrociam scelera commitari atroces penas, virtutes econtra recteque facta ordine diuino premijs ornari, ut dicitur, Βεβαιον εστι βιον δικαιοσων.

52. Tandem oculis & auribus ingestis documentis, neminem vel aliena infelicitate euasisse felicem, vel male quasitis solide gauisum esse clamat, unde cordatus a malis artibus metu futuri abstinet, animumque plenum cupiditatibus purgat, obrutumque vitiorum ceno ad bonam mentis frugem conuertit, subinde sibi ipsi hanc historiae παραδειγμα iterata voce occinens, Discite iustitiam moniti, & non spernere Diuos.

Iucunditas.

53. Porro mira etiam voluptate, eaque honestissima referta est historia, longeque errat utilitatem eidem, ac dignitatem tribuens, iucunditate eandem diminuens.

54. Primo etenim magnarum, ac variarum rerum spectacula animae oculis conspicienda subiicit, quorum contemplatio exquisita epularum fruitione iucundior est.

55. Summorum etiam principum, illustrium virorum aut preualentium populorum consilia videns, stratagemas, structas preuentasque insidias, caesos exercitus, captas vrbes, integras deletas gentes: mox reslante fortuna victum victori insultare, exurgere prostratum, seruientem modo, repente dominantem legem ponere, eodem momento obtenta & amissa imperia, letitiam subita consternatione lachrimis ac lamentis permutari, cognoscens tanta voluptate afficitur, ut legendo non prius Mens expleri possit, quam negotij suscepti principium cum exitu coniungat.

56. His

56. His cognoscendis inuenitur partium ambiguum, spei metusque iactationem, illinc fiducia, hinc metu futuri suspensam, nunc incertissimis fidentem, mox tutis diffidentem, saepe ambiguum fortunam ex incertissimo quoque animos erigentem.

57. Non minore oblectationis perfusione agnoscimus ex historia lectione, hostium terribilium victores, proprijs cupiditatibus victos, inexpugnabilia robore seculisque memoriam excedentibus tuta possessa tandem admotis arietibus, prosternentes, proprijs voluptatibus succubuisse, Victorium populorum ductores, a suis cupiditatibus, domestico regimine destitutos turbinum instar transversos actos.

58. Hec omnia in alienis malis sine suo quisque periculo secure contemplans, adeoque suaviter eiusmodi fluctuantium animorum motus contemplatur historia lector, ut unus dies in eiusmodi rerum contemplatione actus, vel pars aliqua futura immortalitatis, vel eidem anteponenda videatur,

59. Incredibili voluptate intimis sensibus afficitur scientia rerum, quarum interitus obliuio est, reuocatio in memoriam vita, multo magis lectione historiarum delectatur mens sciendi auida, cum rotam antiquitatem nobis in memoriam reuocent, omniumque seculorum retrò actorum mores, consilia, euentus, exigua veluti tabella depicta oculis inspicienda proponant.

60. Si sermonibus delectemur, resonat in historijs vel prudentum ducum grandis, prudens, plena pectoris, & maiestatis oratio, nihil vulgare, nihil humile, aut effæminatum narrantium,

61. Vel vecordium vana, arrogans, stolidum, & superba oratio, tumido spiritu plenum, bonarum vero rerum inane, & ieiunum pectus ostendens, cuius lectio non planè stupidum, & communis vitæ ignarum lectorem in facetum risum effundit.

E

62. Si-

62. *Sicut econtra, in prudentum narratione humane
prestantie evidentem imaginem considerans lector, cum rubi-
lo & plausu sui ipsius excellentiam admirari incipit, si in boni
eius, quod summum hominis videtur esse, consequendi studio
incumbere, ipsamque naturam ducem sequi velit.*

Inpertinens.

An rerum futurarum possit esse historia.

F I N I S.



AB 149 333

X 159988

No 41



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13 B.I.G.



IONIBVS
tribus dispu-
ensa.

INIS, ET
CIEBVS,

IN FINEM
IBVS DISCI-
ne an à philoso-
ndum.

IUCVNDI-
IS IN IN-
ia.

O HOLSATO,
essore ibidem.

ENDENSI, AR-
18

tis gratia typis
endio Iacobi
lmstadij

M. Simon

